

1253.
~~1258~~ 19. Maji

657.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Prus-
siae, Livoniae, et Estoniae, (a) nec non Episcopis (b)
ac Dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus (c) de ea-
rundem Regionum salutem et Apostolicam Be-
nedictionem.

Non absque cordis anxietate percepimus, quod se-
vissimi Tartari, Christiani nominis inimici, et eorum
complices Terras, Livoniae et Estoniae et Prussiae, ac ali-
as quas in partibus illis, Dilecti Filii Fratres Hospita-
lis Sanctae Mariae Theutonicorum, (d) non sine magnis
laboribus

(a) Et Estoniae: De quo Antistite dictum est supra in not. ad epi-
stolam. Ut commissum tibi de eadem directam Anno 1246. die 3. Maii.

(b) Episcopis: Quorum Culmensis, et Pomesaniensis ex Ordine Prae-
dicatorum assumpti erant; et ex precedentibus Litteris; Varmi-
ensis vero et Curoniensis ex Ordine Minorum; de Varmiensi
dictum est in epistola proxime relata; de Curoniensi pre-
ter dicta ad Epistolam anni 1251. die 14. Martii dicetur post
ad Epistolam Alexandri IV. Qui justis causis de Anno
1256. die 21. Augusti eidem scriptam.

(c) Prioribus de. Jam ab anno 1218. Ordo Praedicatorum in Po-
loniam introductus fuerat, et Minorites An. 237. et Torunii
Anno 1239. locum obtinuerunt, pauloque post Culmie et
Varmie, que caput fuit Custodie Prussiae, in Provincia
Saxonie, et antiquo Provinciali Ordinis apud Polychronicon
et Pisanum in Conform: XI.

(d) Theutonicorum: De quo Ordine in premissa Epistola a-
ctum est.

laboribus et expensis, ac proprii effusione sangui-
nis Divina potentia suffragante, reduxerunt ad culmen
Catholice veritatis, occupare ac destruere moluntur.
Cum autem dignum sit, et congruum, ut per Sedem
Apostolicam, cui divinitus omnium cura Fidelium com-
missa esse dignoscitur, super hoc salubre consilium
proponatur, Nos de Vestra circumspectione confisi, Uni-
versitati Vestre per Apostolica Scripta mandamus, qua-
tenus contra Tartaros, et complices memoratos, in dictis
Terris, verbum Crucis per Vos, et alios ad hoc idoneos pro-
dicetis, ea auctoritate Nostra peccatorum veniam, et il-
las immunitates a summentibus Crucem huiusmodi con-
cessuri, que transfretantibus, in Terra Sancte Subsidi-
um in Generali Concilio (6.) sunt concessa

Datum Asinii XIV. Kalendas Junii. Pontificatus
Nostris Anno Undecimo.

(6.) In Generali Concilio Lateranensi IV. Anno 1215. Sub In-
nocentio III. celebrato, et ab ipso Pontifice per Literas En-
cyclicas incip: Ad liberandam Terram Sanctam &c.